

1616 21 70 81 18

DELINEATIO DIFFERENTIÆ
IURISDICTIONIS
MONARCHICÆ ROMA-
næ veteris & hodiernæ

Cujus themata

DIVINA GRATIA FAVENTE

In incluta Viteberga

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Consultissimi Viri,


Dn. FRIDERICI LENTII I.U.D.

Publicè defensor

JOHANNES HEIGIUS WITEBER-
GENSIS.

Addiẽm 12. Aprilis, Anno 66 10 CXVI.

In Auditorio Jctorum.



WITEBERGÆ,

TYPIS GORMANNIANIS,

DELINEATIO DIFFERENTIALIS

HERIBDIOLOGIA

MONARCHICA ROMA

DE VETERIBUS & MODERNIS

OPUS

DIVINA GRATIA FAVENTE

IMPERIALI ACADEMIA

SCIENTIARUM

CAESAREAE CONSISTENTIAE

DE FREDERICO III. IMPERATORE

JOHANNES WILHELMUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS

OPUS





THESIS I.



Errissimè quam plurimi (queis de meliore
luto Numen præcordia finxit) hæctenus
testati sunt, & imò ipsis tacentibus idem rei
loqueretur evidentiâ, ad eò hodiernis tem-
porib9 innovatam esse jurisdictionis ratio-
nem, ut si quis jura civilia antiqua his tem-
poribus sine delectu accommodare velit,
is nequeat non summis erroribus involvi.

Experti istud sunt veterum non pauci, qui nec in subjecta mate-
ria vel lacum unguem à Romanis legibus discedere audebant,
sed ijs instar cothurni perpetui utebantur.

II.

Quandoquidem autem veterem illam Jurisdictionis figu-
ram, non ad historiam tantum cognitionem, quam cuique JURIS
sectatori semper commendatissimam esse oportet, pertinere in-
dubium, sed & quæ ratio potior est, ad eò per jus nostrum, quod
ab ejus compilationis auctore JUSTINIANEUM appellamus,
quoque tam in scholis, quam foro, non ob conditorem, quippe
cujus potestati hæ provinciam nunquam subfuere, sed restitutorè,
Lecharium nempe Imperatorem urimur, diffusam videmus, ut
ipsius cognitionem omittere, & illi soli quæ hodiè obrineat ad-
discendæ operam dare nec possimus nec debeamus.

III.

Ast ita hæc, ne cum frugibus vesci detur, glandibus nos
satiatos contenti simus. Quoniam namque Juris disciplina Pru-
dentiam species, atque ita habitus cum recta ratione non contem-
plativus, sed activus est, sanè de ijs etiam mediis primariò, quæ
nos ad talem habitum prudenter in Republica, non profecto quæ
multis nostra anteverit secula, sed in quâ vivere is qui soli cæ-
lique turmas imperio regit unus æ quo, nos voluit, agendi conse-
quendum, deducere norunt, solliciti reperiamur.

A 2

IV. Vota

*Ichio Romana ab
hodierna in
totum distat.*

IV.

Vota hæc nostra feliciter cadent, quando cum bono Dno illi quod fuit jungamus illud quod est, & cum jam ex juris nostri libris, ut & quos commentariorum loco habemus, eo spectantibus historicis, quæ qualisve antiquorum temporum jurisdictio fuerit, didicerimus (hujus enim cognitionem præmitti debere, & suafores & defensores erimus) ulterius exploremus, quid ex ijs hodie usus ferat, quid respuat, quid veteris retentum, quid ejus immutatum, quid novi additum existat.

V.

Quamvis autem apertius & perfectius in quotidiano usu & ipsis rerum documentis illa omnia appareant, ut sua mihi Institutionum compilatores verba largiantur: attamen non exigam hujusmodi rei notitiam in scholis etiam is assequetur, qui recentiorum Juristarum quorundam, ut & Politicorum & Historicorum scripta pervolvens, diligenter sibi ipsi utramque conferendo, quid quantumvè hodierna ac primæva jurisdictio inter se distent, annotabit. Nec n. adhuc illum, quem mihi quidem inspicere contigit hoc principaliter sibi agendum sumsisse animadvertere potui, licet sparsim quam plurima talia satis erudita occurrant.

VI.

Nobis, cum publicæ disquisitioni aliquid proponere animus ferret, quandam hujus operæ delineationem thesium loco offerendam, tentare visum fuit. Delineationem dicimus. Perfecta enim rei tractatio nec loci præsentis, nec nostri instituti est. Quia ergo & plures, quam quas nos attingimus dari differentias, præsertim singulares & specialiores non diffitemur, si cui tales forte obviam fient, nos tamen ideò jure non accusabimur. Nemo item à nobis quod spero expectet, quo de notatione, definitione, speciebus &c. jurisdictionis hac vice disseramus, quippe quod commentarium integrum, quorum alias non pauci in vulgus extant, istud requirat, qualem tamen haud, sed theses conscribere suscepimus.

VII.

Manum ergo operi admovendo, differentias hæc in duas clas-

classes dispescimus. Quædam enim in genere ipsum imperium attingunt, quædam vero membra tantum ejus singularia. In utraque singulas causas percurramus. Itaque priorem classem, quod attinet nullam quidem quoad causas externas animadvertemus differentiam. Finis enim tam ultimus, Gloria nempe dei, quam huic proxime subordinatus, Salus Populi suprema semper lex, ubique idem. Sed & cum Efficientem remotam & principalem omnis Respublica Deum Ter. Opt. Max. autorem agnoscat, nec potestas sit, nisi à Deo, dubium esse nequit, tam Romanorum veterem, quam nostram præsentem jurisdictionem æque ab uno illo omnium bonorum datore fluxisse. Unde vulgare illud: *Wir N. N. von Gottes Gnaden* &c. quod usus etiam superiorem recognoscentibus defert.

IIIX.

Sanè quoad proximam efficientem, manibus pedibusq; cohors Papalis nobis aliam quandam fucatam obtrudere conatur, nec in propria sua causa egregia ferre testimonia obliviscitur. Papa, clamitans, transtulit imperium à Græcis in Germanos. Is idcirco hujus nostri proximus autor & causa efficiens. Sed an cui dari potest quod habet? An dare is potest, qui non habet? An subditus in Dominum tanquam superior quicquam conferre potuit? Nos ita quod veteribus Romanis belli jus & postea in quibuslibet individuis populi electio & consensus, ut proxima causa præstitit, idem quoque in hodierno Romano-germanico imperio eadem per Carolum Magnum, & in ipso præstiterunt, & suo respectu in successoribus ipsius præstant.

IX.

Modus eligendi variat. Olim enim certa electionis forma non erat. Quidam vi se ipsos intruserunt, quidam per adoptionem, plurimi, quod ab Augustis Cæsares nominati regimen adepti sunt, quos postea consensus subsequutus approbavit, quosdã senatus consensu exercituũ, quosdam exercitus, aliquando consentiente, aliquando dissentiente Senatu Romano elegerunt. Hoc nostrum quoq; Germanũ primis temporibus, & in Caroli Magni posteris successorũ fuit. His proximis Imperatores per universos Imperij proceres eligebantur. Verũ quoniã plena periculi talis

est electio, superat enim multitudo probos ac sententiæ nume-
rantur non ponderantur, tandem ad paucos quosdam septem,
nempe Imperij principes, tres Ecclesiasticos, Moguntinum, Tre-
virensis & Coloniensem, & quatuor Seculares, Palatinum, Sa-
xonem, Brandenburgensem & Bohemum res devenit, quos inde
Electores appellamus. De quorum origine hætenus inter JCros
& historicos acriter disceptatum est. Sententia communior id
Ottoni III. vindicat. Pontificij gnathones Gregorium V. aucto-
rem laudant. Nos illud consuetudine primum receptum & po-
steriorum Imperatorum sanctione confirmatum asserimus.

X.

Causarum internarum materialis ex qua hic, utpote in re
intentionali & accidentaria, nulla existit. Substituimus mate-
riam in qua seu subjectum, & materiam circa quam seu objectum.
Subjectum Jurisdictionis in quo sunt personæ, quibus ea com-
petit. Hic primam agnoscere licet differentiam. Olim populo
Romano in Urbe Italiae illud Imperium, illa competebat juris-
dictio, in cujus locum postmodum Græcia successit. Hodie ista
potestas omnis ad Germanos translata est. Hi Imperium Roma-
num tenent, hi Imperatorem Romanum eligunt, ille solus Ger-
manus, sic rectius sentimus, eligitur.

XI.

Objectum jurisdictionis Imperatoriae generale sunt di-
tiones & provinciæ, quæ huic jurisdictioni subjacent. Ast o-
quam memorabile fatalis incrementi & decrementi Imperiorum
& regnorum exemplum præ manibus habemus. Cum n. Imperij
Rom. amplitudo imperante Ulpio Trajano aut Diocletiano &
Constantino cū collegis ab ultima Hispania & Africa in confinia
usque Parthiæ longitudo graduum XC. (cujusmodi CCC. absol-
vunt circulum totius orbis) latitudo ab æquinoctiali versus se-
ptentrionem minimum Graduum XLV. extiterit, nostro tempo-
re, illinc totam videmus abreptam Africam, istinc Asiam, hinc
maximas & amplissimas Europæ provinciæ Hispaniam dicimus,
Galliam, Angliam olim Britanniam &c. Imò nec Italia, quam ta-
men non alium præter Imperatorem habere regem adhuc Maxi-
milianus II. Imperator, si Bodino credimus, respondit, majori sui
parte

parte ex obedientia Caesarum nostrorum se abstraxit, bonam partem patrimonium Petri absorpsit, non minorem Veneti, alias abcerpsere Florentini, Lucenses, Senenses, aliaque quae liberas se hodie venditant respublicae. Imò ex Germania quoque nonnullas provincias sub alienum jugum raptas perspicimus, adeo ut si secundum quosdam nunc eam rationem vocemus, quae in utraque Germania cis & trans Rhenum ad confinia usque Galliae & Sarmatiae & Oceanum, tum in Rhetia, Norico, Ilirico atque Italia hodie juri Imperij Romani accensentur, vix implebunt longitudinem X. graduum h. e. vix quadragesimam portionem veteris Monarchiae Romanae aequabunt.

XII.

De factis haec omnia commissa sunt, committunturve, ajunt nostri. Non a. inspiciendum quid Romae fiat, sed quid fieri debeat. Quod ad jus ergo attinet, adhuc Imperator noster mundi Dominus est, Laudandus doctissimorum virorum erga Sacrosanctum nostrum Imperium propensus affectus. At obloquuntur alii. Talia, inquiunt, isthaec sunt, quae potius amissorum afferant solatium, quam imperium. Nullus enim eorum, illius qui & hodie ipsos imperio subesse asseret, accommodabit opinamini. Parca ipsorum servitus est bello, multi ex iis re in contrarium acta, libertatem bello recuperarunt, in ea jam tot seculis nostra patientia vivunt, quoad obedientiam autem quasi possessio, non merum jus perpenditur. Verum alij hac de re videant. ~~Toga cerra militia in terminis huius levis armaturae penditur, nec charris sed hastis res peragenda, nec legibus armaris, sed armis decoratis recuperatio demandanda.~~ Id quidem ut fiat in nullis non proponitur Comitibus: Ast qui ejus initium faciat facilius optatur quam speratur. Interim Tu DEUS DEUS sarras rectas nobis Aquilae Romanae reliquias conserva.

XIII.

Objectum speciale sunt ipsae personae, & res in provinciis existentes. Quoad has priorum Imp. jurisdictio a quo modo versabatur, ac in placito eorum quem ex qua provincia ipsi judicare, atque propterea inde evocare voluerint, consistebat. Hodie Imperator mediatos seu statuum subditos ad se evocare nequit, sed

sed eos in ordinarijs ipsorum judicijs relinquere debet. Ita enim verba capitulationis se habent: Wir wollen die Ständt vnd Untertanen des Reichs mit rechtlichen oder gültlichen tageleistungen außserhalb Teutscher Nation/vnd von ihrem ordentlichen Richtern nicht dringen/erfordern/noch fürbescheiden ic. Unde & veri ij qui privilegium personarum miserabilium in Imperio ex usu abiisse testantur.

XIV.

Forma jurisdictionis antiquæ, Imperatoribus rerum Dominis, absolute, quod statuimus, Monarchica fuit, ac per L. Regiam Populus in Imperatorem, non quod aliqui volunt cumulative, sed private, jurisdictionem contulit. ~~Hodiernum nostrum Imperium æque quidem Monarchiam esse asserimus. Penes se-
lum enim Imperatorem potissimum summa præeminentiæ
jurium exercituræ resider.~~ Et anne absurdum, quem omnes & ore & facto superiorem agnoscunt, merè Aristocratici Imperij somnio, reliquis parem facere atque sic pari in pares jurisdictionem tribuere. Ast ramen & hic differentia quædam animadvertenda. Absolute diximus antiquum fuit Monarchicum, hoc nostrum pactioibus quibusdam limitatum est, ac ita non nihil ex Aristocratico statu admixtum, quicquid alii huic mixtioni contradicant, habet.

XV.

Dubia hæc nostra assertio illis esse nequit, qui cogitant inquam multis supremis Majestatis axiomatibus per Capitulationes, quas vocant, quarum contenta post factam statim electionem jurato Imperatores electi promittunt, Cæsarea potestas restricta & partim cum Electorum collegio, partim cum omnibus Imperij statibus communicata sit. Consilio sanè sapienti & contra facilem nimiam potentiam abusum maxime salutari, quodque etiam ideo nulli fermè Christianæ genti non placuit. Unde veri ij, ~~qui vix aut difficulter simplicem & puram Monarchiam in~~ Christiano orbe inveniri esse testantur.

XVI.

Et ut quæ hæcenus generaliter diximus specialius appareant, potiora in quibus priorem jurisdictionem in posteriori limitatam censemus ordine attingemus,

XVII.

XVII.

XVII. Atque sic, quo à potestate Leges condendi ordiar, indubium est, olim solum Imperatorem leges condere potuisse. Ac etsi Theodosius & Valentinianus Imp. humanum probent, si quid in publica privatave causa emerferit necessarium, id ab omnibus Proceribus ac Senatu tractari, & universorum consensum Augustâ auctoritate firmari: Voluntatis tamen id fuit, non necessitatis. Nam aliud ipsis majestas imperialis permisit, Justinianus inquit. Verum quoad hodierna tempora unanimi omnes ore lubentes fatentur, non integrum Imperatori esse ut solus leges universales ferat, sed opus eum habere in Comitibus imperialibus, si quæ fortassis lege universali sibi consultum iri postulant, ea proponere & postea cum statibus de certa legis forma convenire. Unde perpetua ista Recessum Imperij Reichsabschied clausula: Als haben wir uns mit den Ständen vnd sie sich hinwiderumb mit uns verglichen.

XIIX.

Hinc alia pullulat differentia. Olim Imperatores legibus quas ferebant soluti erant. Nemo enim sibi ipsi imperat. Pro arbitrio igitur proprio à se imo ab antecessoribus quoque latas, cum par in parem non habeat imperium, revocare poterant. Hodie Imperator legibus prædicto modo à se conditis non secus ac Imperij status tanquam ex contractu obligatur, ac ideo eas non nisi eodem modo, quo colligatæ sunt, dissolvere potest. Imò antecessorum quoq; legibus æquè adstringitur, cum propter propriam suam capitulationem, in qua earum observantiam promittit, tum quod recte statuuntur ij qui successorem in Imperio vel regno etiam electivo, facto sui prædecessoris quatenus id imperij seu regni statum directò respicit, obligari affirmant. Exemplum talium legum illustriora sunt Ordinatio Camerae, Pax publica, Pax religionis &c.

XIX.

Porro belli, pacis, foederumq; jura in potestate veterum Imperatorum sita fuisse historiarum pleno ore loquuntur. In præsentis Imperij statu vigore capitulationis de rebus Imperij intra vel extra fines ejusdem bellum suscipere, vel cum externis Regibus de illis ipsis foedus jungere, nisi Electorum adhibito consensu, nequit.

B

XX. Eo

XX.

Eodem se modo res circa potestatem vectigalia exigendi habet. Fuit hæc olim solius Imperatoris, quod Nero omnium remissione & abrogatione ostendere volebat. Hodie nec ipse Imperator nova instituere, nec alteri ea instituendi potestatem facere, nisi & simul Electorum consensus accesserit, potest, quod Recessibus etiam Imperij insertum legimus.

XXI.

Insuper solius antiquis seculis Imperatorij culminis fuit, magistratus & judicia ordinare atq; constituere. Sed noster status id ipsi non permittit. Tria hodie generalia respectivè tamen in imperio judicia habemus: Aulam & Palatium Imperiale, des Reichs Hoffrath/Cameram Imperialem das Cammergericht/ & Instantias privilegiatas, die Außtråg. Nam judicium Rotwilense das Rothweilisch Hoffgericht/certo tantum districtu definitum est. Ex his tribus duo posteriora ex contractu Imperatoris & Statuum sunt. Nec ergo ea his invitis tollere, alia in ipsorum locum substituere, nova ijs superaddere, causas ibi pendentes avocare, harum cognitionem inhibere, aut quicquam aliud contra conventionis legem circa ea statuere, aut in ijs immutare potest.

XXII.

Destinata autem ista sunt judicia, ut justitia imperij subditis per ipsa (suo unumquodq; modo) administraretur. Et quidem ultimum der Außtråg de causis Electorum, Principū, Prælatorum, Comitum, Baronum & Nobilium, non verò civitatum Imperialium, in prima instantia, modo in ordinatione, Camera definito cognoscit. Camera huic superius existit & de reliquis causis ad privilegiatas illas instantias non pertinentes, uti in primis de omnibus causis mandatorum sine clausula & appellationum judicat. Atque in hac ipsa potestate utrumque judicium Imperatorem repræsentat, Camera quidem tanquam ordinarium; Judices verò der Außtråg, tanquam delegati.

XXIII.

Consilium Imperatoris aulicum, in quo ipse Imperator præesse

præesse censetur, plus à Cæsareæ Majestatis arbitrio dependere videtur. Huic earum rerum tractationem, quæ ad reservata Imperatoris aliàs pertinent, veluti feuda majora & regalia investire, de ijs cognoscere, famæ honoriq; restituere, vel alijs id faciendi potestatem largiri, scholas publicas seu Academi-
as confirmare, jura civitatum *Stadt-Recht* dare, primarias preces in Germaniæ Ecclesijs, primò post electionem Cæsaris vacaturis, exercere, de fisci Cameralis redditibus disponere &c. ut & de causis fractæ pacis publicæ, item moderationum *Ringerungssachen der Anschlag an der Ständt Reichs Anlagen / sessionum der Ständt Sessionstreit / &c.* cognitionem omnes lubentissimè deferunt.

XXIV.

Sed gravissimè hætenus disceptatum est, an & illud se exercitio jurisdictionis cõtentiosæ ordinario & in primis quæ religionem spectant, recte immiscant, an v. ea jurisdictionis pars non cumulativè sed privativè Camera & iudicibus *der Außtråg* suo tamen respectu ab Imperatore concessa sit? Seu, ut rectius quæstionis status informari potest: An Imperator sibi competentè contentiosam Jurisdictionem in sola Camera & per suos vigore ordinationis, *vermög der Außtråg* Commissarios, an etiam alibi, puta in aula, & per alios salvis Imperij legibus & conventionibus exercere queat? Nos quoad commissarios ordinationis sive *der Außtråg* contra doctum quendam virum rectè statui posse censemus & alio in loco asseruimus, privilegiatas istas instantias etiam jurisdictionem aulæ Cæsareæ restringere ac ideo statim ibi conventum de ijs excipientem, eò remittendum esse.

XXV.

Sed quod Camerae iudicium attinet, cum utrinq; res maximè præjudicialis sit, placent nobis politiores, qui privatò hanc litem suam facere dissuadent. Et nos ergo ab ejus definitione hac vice abstinebimus. Nihilominus ei qui exercitij gratia hanc nobis controversiam movebit, nostram mentem, quamque partem defendendam suscepturi simus, explicabimus.

B 2

XXVI, Non

XXVI. Non immeritò etiam his differentijs annumeramus eam, quod uti antiquitus fieri, si opus fuisset, potuisse non dubito, Imperatori nostro absoluto arbitrio Comitìa universalìa convocare & celebrare permissum non sit, sed etsi quidem ad ipsum convocatio pertineat, tamen antequam diem Comitiorum indicat, Electores singulos per legatos vel literas ea de re consultit. Hinc passim in Imperij decretis & Recessibus legere sunt hæc verba: Haben wir mit Rath vnd bewilligung obgemelter vnser vnd des Reichs Churfürsten nicht vmbgehen mögen eine gemeine Reichsversammlung außzuschreiben/etc.

XXVII

Imò, ut hanc iurium majestatis communicationem concludam, in sæpe dictis capitulationibus Imperatores promittunt, se in quibuslibet arduis, ipsum Imperij statum concernentibus, sine Electorum consensu nihil incepturos vel expedituros, verba hujus promissionis formalia in Inviçtissimi nostri Imperatoris capitulatione circa fin. extantia addamus: Wir wollen/ in sit, vnd sollen zu wichtigen sachen / so das Reich betreffen / bald anfangs der Churfürsten rath vnd bedencken vns gebrauchen / &c. Sed nemo asseret simili lege & veteres Augustos obstrictos fuisse.

XXIIX.

Sunt & alia, quæ talem quidem communicationem non sapiunt: æquè tamen Cæsaream potestatem angustant. Tale est, quod quamvis olim quilibet Imperator pro libitu sibi absens vicarium constituebat, hodiernis tamen eadem libera voluntas sibi Vicarium ordinandi residua non est. Pertinet enim Jus hoc Vicariatus ad Palatinũ & Saxonem Electores, sive absens Imperator sit, sive plane Imperium vacet. Unde Carolus V. cum Ferdinandum fratrem vicarium suum in Imperio constituere vellet, opus habebat Electorum horum duorum consensum non solum adhibere, sed etiam ne illud ipsorum privilegio fraudi foret literis reversalibus cavere.

XXIX.

Aliud ejusmodi est, quod vigore antiquitus receptæ consuetudinis, Aurea Bulla Caroli IV. confirmatæ, Imperator Romanus in controversijs, quæ ipsi, tanquam reo moventur non
verò

verò quas ipse alijs tanquam actor movet, Comitem Palatinum
Electorem judicem habeat. Ast jure nostro Civili summum
Principem in propria judicare causa posse verissimum est.

XXX.

Aliam his differentiam, ab appellatione ultima petitam,
additant. Stultum est, ait Ulp. illud admonere à Principe ap-
pellare fas non esse. Verum quibus in nostro Imperio ne qui-
dem talem asserere appellationem stultum videtur, illi in tri-
plici quasi secta. Absurdiores Pontificem Romanum ab ipso
appellari posse asserere audent. Sed a page nugigerulo; istos,
qui jamdiu læsæ majestatis rei facti & condemnati sunt. Alij
status imperij appellant. Sed non video cur à superiore inferior
provocetur. Ultimi, quorum hæresis frequentior, appellant à
Cæsare malè informato ad melius informandum. Sed satis in-
congruum unam personam terminum à quo & simul terminum
ad quem esse, & motum, ubi incepit, finiri. Sin tamen huic cõ-
muni remedio, quid dandum foret, eo casu tolerari posset, si
ad relationem alterius Imperator quid constituisset. Tunc e-
nim ab eo qui Principi obrepit appellari censetur. Atq; ha-
ctenus de generali Imperij jurisdictione.

XXXI.

Subsequitur ea, quam singula ejus membra ac inferiores
à Cæsare magistratus habent. Hic iterum quoad finalem cau-
sam differentiam veteris & novæ nullam agnoscimus. Prima
ergo differentia, quoad causam efficientem proximam occur-
rit. Antiquitus nulla ulli jurisdictione propria, sive, ut hodie illa
indigitatur, ordinaria, cuiquam, nisi à Principe, præsertim,
postquam Senatui jus Proconsules in provincias, quæ ipsi reli-
ctæ fuerant, mittendi ademptum est, concedebatur, quod qui-
dem adhuc in ijs, qui immediatè ab imperio jurisdictionem in
in feudum recognoscunt, ut Proceres Imperij, vel alio modo
concessam habent, veluti Civitates liberæ, obtinet. Sed in
mediatis minimè gentium. Sic enim status Imperij non solum
eam quam acceperunt jurisdictionem alijs subinfeudant, vel
alio titulo concedunt, uti plerumq; oppidis in ditioe ipso-
rum sitis, sed etiam ad exercendum eam quam sibi propriam
retinuerunt magistratus ordinarios, veluti judicia aulica Hoff-

B 3

regierun-

regierungen/quorum ipse Princeps caput & pars censetur, curias sive Judicialia Curialia Hoffgerichte/Consistoria Ecclesiastica Geistliche Consistorien/ Kirchengericht/ Item Quaestores, vocant Schöffer/Kastner/Verwalter/ &c. ambactiarum sive praefectarum der Empter/ in quas plerumque Principum ditio- nes distributæ sunt, constituunt.

XXXIII.

Similiter quoad mandatum jurisdictionis, sive, ut hodierno Dd. termino utamur, delegationem seu commissionem, jure Civili nemo, cui ab alio quam summo Principe jurisdictionis mandata fuit, eam alteri mandare seu subdelegare potest. At hoc facere posse etiam eos qui tantum à statibus imperij tale mandatum acceperunt verum asserimus. Ita solus Augustus rectè olim merum imperium seu gladij potestatem delegabat, hodie eandem delegandi potestatem statibus Imperij, etsi non ijs qui hanc ab ipsis acceperunt, tribuimus.

XXXIII.

Materiam in qua supra personas quibus jurisdictionis ista competit esse diximus. Hic nostræ in sat multis differunt. Et ut hoc etsi non magni adeò momenti primum moneamus; Nominibus istæ personæ dissonis appellantur. Olim praefectus Praetorio, Consules, praefectus urbis, Praetor, Proconsul, Praeses, Procurator Caesaris &c. nominabantur. Hodie Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles &c. audiunt.

XXXIV.

Illis temporibus omnes quibus Jurisdictionis compete- bat politici magistratus erant. Et quamvis apud Ethnicos etiam eos magistratum gessisse, qui alias Sacerdotes fictitij cu- jusdam Dei existebant, constat: tamen non quatenus Sacerdotibus, sed quatenus alij cuivis civi Romano ipsis magistra- tus deferebatur. Apud primos autem Imperatores Christianos Episcopis & Clericis tantum audientia, nulla jurisdictionis concessa fuit. Postea sibi Ecclesiastici & hanc usurpare cœperunt. Res eò devenit ut à Principibus secularibus, per- suaso religionis Zelo, in consortium quoque Imperij quidam

ex ipsis recepti sint. Ac in nostra quidem Germania maxima pars Statuum ex Ecclesiasticis est, uti per se evidens, Cujus primum autorem Ludovicum Pium laudant.

XXXV.

Ad exemplum Clericorum, etiam magistratibus scholasticis Rectoribus sc. Academiarum, jurisdictio posterioribus seculis, qua in Romano & Græco Imperio, si Juris Professores non ubique omnes, sed tantum qui in Berytensium civitate docuerunt, ita tamen ut non soli, sed cum Episcopo cognoverint, excipias, à Friderico I. Imp. meritissimò concessa est. Quæ ejus concessio, an etiam ad merum Imperium extendenda sit, disputant; Cum pro negativa, infimo tantum ejus gradu excepto, subsequens observantia faciat, ab ea non abimus.

XXXVI.

In veteri porro Romanorum Repub. certissimum est, nemini merum Imperium competisse, nisi cui id nominatim à lege concessum fuit. Hodie ajunt jure magistratus illud competit. Sed nimis crassa hæc locutio & generaliter accepta falsa quoque est. Moribus nostris congruenter ita statuimus. Sub vi concessionis jurisdictionis territorialis der hohent Landes Obrigkeit / etiam indubiè merum imperium venit, quamvis actu semper conjuncta non sint, sed propter Domini territorialis concessionem, vel possessoris præscriptionem, penes alium merum imperium inveniri possit. In singularis jurisdictionis verò translatione, generalibus verbis, mit Gerichten, nunquam comprehenditur nisi nominatim vel per æquipollens expressa sit. Sic multi immediati nobiles, non ipsi in suis castris, sed alij jus meri Imperij obtinent. Nec omnes Civitates Imperiales illud tenent. Exemplum sit Colonia, ubi ad Archiepiscopum id pertinet. Civitates & nobiles provinciales seu mediatos, qui certè magistratus sunt, mero tamen Imperio carent, innumeros tacemus.

XXXVII.

Diversimodè se res habet in alijs, quæ æquè olim ex sola lege non magistratus jure competere dicebantur, puta
tutoris

tutoris datione, quæ neque Imperij neq; jurisdictionis, sed legis erat. Nam talia hodie rectè jure magistratus & vi mixti Imperij acquiruntur. Unde videmus nullum hodie magistratum esse, qui non etiam hanc tutoris dationem sibi usurpet.

XXXVIII.

Aliam huc pertinentem differentiam nobis suppeditant civitates. Antiquitus omnes præter Urbem Romam Municipia dicebantur, ac mero & mixto Imperio paucissimis ex hoc demeritis destituebantur. Hodiernæ nostræ civitates duplicis generis: Aliæ Liberae Reichstädte idè sic dictæ, quod ab aliorum statuum jurisdictione immunes, immediatè Imperio subint: Aliæ verò Provinciales Landsstädte, sub ditione alterius Imperij status existentes, quæ iterum vel absolutè subjectæ vel pactionatæ, addunt quidam Exemptias, ea tamen divisio ad propositum nostrum nihil facit.

XXXIX.

Quoad civitates ergo liberas, quas & Imperiales appellant, ipsæ ad unam omnes mixtum Imperium indistinctè habent. Merum imperium, per paucis exceptis, itidem. Sed an jura quoq; territorialia iisdem rectè tribuantur, non absq; rationibus disceptatur. Videbimus.

XL.

Provinciales vulgo dicunt omni jurisdictione carere. Sed id verum in oppidis tenuioribus esse potest. Non quod omni planè potestate careant, quia ipsis plerunq; à superiore & Domino jurisdictio inferior per locationis contractum cõceditur, die vnter oder Nidergerichte werden ihnen verpachtet, sed quod talem quæ in patrimonio civitatis sit, qualiter hodie quis jurisdictionem propriam vulgarij habere dicitur, qua de infra, nullam obtineant. Circa has ergo non immeritò quis dubitaret, an jurisdictio ipsis ad hunc modum locata propria, ea scilicet significatione, quâ hoc vocabulum in jure civili accipitur, delegata sit? Propriam putamus, quoniam ijs qui eam administrant jure magistratus, non ex speciali mandato competit. Merum Imperium adeo frequens penes has minores civitates non est.

XLI. Ma-



XLI.

Majores pleræq; imperium utrumq; privilegiis & aliis titulis, non rarò quoq; onerosis, puta per emtionem, sibi comparare, qua in re maximam inter veteres & hæc differentiam licet agnoscere.

XLII.

XLII. Adhæc de jure nostro civili certum est, ad nullum jurisdictionem propriam, quam nos jam ordinariam vocamus, pertinuisse, nisi simul & magistratus fuerit. In præsentī Republica varia dant exempla eorum, qui absque omni magistratu ordinariam sive propriam jurisdictionem teneant. Inter ea legitimum profitemur Parium Curia qui inter Dominum & vasallum de feudo cognoscunt. Tales autem Judices Revisionis esse negamus. Judices der Außtråg supra delegatos asseruimus; Delegatos etiam esse censemus ex statuto, quod consanguineos in cognatos compromittere jubet, judicantes. Qui verò ex pactis inter Illustres familias receptis gewillfürten Erb vnd Stam Außtrågen judicant, ne quidem judices, multo minus ordinarii, sed arbitri sunt. Atque sic malè hosce omnes quidam ordinariis judicibus, seu propriam jurisdictionem habentibus, accensent.

XLIII.

Eximiam tandem quoad personas in quibusdã differentiam inter assessores judicium antiquos & novos annotandam censemus. In jure civili assessores absque omni jurisdictione erant. Qui hodie frequentius assessores dicuntur plerunq; ut membra collegij de jurisdictione participant, unde & per majora concludunt, ita respectu suorum præsidum aut judicum, quorum officium vota colligere & alia ad directionem judicii pertinentia exercere appellati. Istiusmodi collegia Camera vulgò Cammerrichter President vnd Besitzer/Item Curia Principum, Hoffrichter vnd Besitzer/& inferiora judicia Richter vnd Schöppen existunt.

XLIV.

Hoc in loco & alia notanda veniunt differentia. Illorum temporum magistratus usque ad Diocletianum & Maximin. Imp. non ipsi ordinariè judicabant, sed judices dabant. Nam istud descendentes rectius sentire arbitramur, Ad nostri imò ipsi, quamvis

C

vis

vis non pauci sapientibus, Juridica sc. facultate quādam seu sca-
binatu consultis, judicant.

XLV.

Sequitur materiam in qua, objectum seu materia circa
quam, & omisso generali, specialius personas sc. & res in provin-
cia contentas aspiciemus, & hic etiam mutatum jus vetus depre-
hendemus. Olim magistratuū infra Cæsarem jurisdictio & po-
testas tantum in justiciæ administratione consistebat, nec se ad
ea quæ nos regalia appellamus, nisi quæ fortè ex illis olim talia
non existimabantur, (e.g. venatio, quæ etiam privato cuiq; libe-
ra tunc temporis erat,) extendebat: puta monetam cudere, colle-
ctas imponere, veniam & gratiam pœnæ capitalis facere &c. Ne-
que vectigalium aliorumque proventuum cura ad ipsos, sed in
Civico statu ad Quæstores, in Monarchico ad Procuratores Cæ-
sarum, qui eo nomine in provincias mittebantur, spectabat. Sed
hæc omnia penes eos, quibus territorij jure ditio concessa est, una
cum regalibus reliquis reperiuntur, quamvis non apud alios, qui-
bus simplex tantum jurisdictio competit.

XLVI.

Antiquioribus seculis magistratus Romani majores jura,
quæ edicta magistratum nominabantur, condere quidem pote-
rant, sed annua ea tantum, nec ultra diem magistratus valida e-
rant. Nec his suis edictis Legata, SCra, aut Principum placita abro-
gare, vel iis derogare, sed Jus Civile interpretari, extendere &
supplere tantum noverant. Imò posterioribus temporibus semel
proposita rogante T. Cornelio Tribuno plebis per plebiscitum
vicissim mutare vetabantur. Quæ tamen edicta proponendi po-
testas, postea quam ex edicto perpetuo à Juliano JCro compo-
sito judicare per Adrianum Imp. jussi fuerunt, abolita est. Ast no-
stri Imperij Proceres in suis provinciis adhuc hodie jus & statu-
ta, quæ Constitutiones provinciales LandesOrdnungen vulgo
appellantur, nō solum juris communis extendendi vel supplendi
gratia promulgant, sed etiam iis jus commune in provinciis
suis abrogare, ei derogare, surrogare, sed & semel constituta mu-
tare & tollere, novaque substituere, integrum & permissum
est, ac talia statuta in Camera attendi debent. Arque cum ex juris-
dictio-

ditione perpetua promanent, perpetua quoque non annua tantum sunt, ut hinc non immerito miremur eos, qui quod Duces, Marchiones Comites &c. statuere, ad jus Prætorium referunt, cum ad Civile jus id pertinere manifestum sit.

XLVII.

Pertinet ad objecti differentias & illud quod non pauca ex iis causis, quæ olim ad magistratuû civilium jurisdictionem spectabant, in Pontificio Imperio ad Ecclesiasticorum notionem translatae sunt. Tales juramentorum, matrimoniorum &c. Sanè per pacem Religionis aliquatenus ad jus vetus in territoriis papale jugum non agnoscentibus reditum, ac causæ illæ, in quibus Ecclesiastica jurisdictio suspensa est, ad status quoque seculares jure superioritatis devolutæ: Non tamen quantum ad causas matrimoniales in totum. Nam & hodie in purioris religionis locis Theologi & Politici conjunctim in Consistoriis in Geislichen Gerichten vel specialibus judiciis matrimonialibus Ehegerichten de illis ipsis cognoscunt.

XLIX.

Eodem quoque specierum jurisdictionis differentia spectat. De jure civili tres jurisdictionis in genere ita dictæ species, Imperium nempe merum, mixtum & simplex jurisdictionis non male statuuntur, secundum quas omnis omnium magistratuû jurisdictionis dijudicabatur. Sed hodierna forma ad eas se adstringi non patitur. Est enim jurisdictionis species, quam territorialem, die hohe Landes Obrigkeit/in Principibus, die hohe Landesfürstliche Obrigkeit/dicimus, nec tamen sub propositis tribus comprehenditur. Imò nec aliæ moribus receptæ distributiones juris civilis partitioni undique respondent.

XLIX.

Ubi Saxonica jura vigent, duæ tantum istius species constitutæ sunt: Jurisdictio nempe criminalis sive superior die Obergerichte & civilis seu inferior, die vnter: Nieder: oder Erbgerichte. Alibi præsertim in Franconia, in qua jurisdictionis variatio fecunda litiû mater, iterû quidè Jurisdictio in Criminalè alicubi die Fraihs/Malefizische od Fraihsliche Obrigkeit/Centgericht Blutbã &c. & Civile die Bogthen/Bogthenliche Obrigkeit &c. dispescitur. Sed

utraq; sub-

subdividitur criminalis in superiorem quæ quatuor centenarum casus die vier Centfall/Mordt/Brandt/Diebstal vnd Nothzucht : & inferiorem quæ reliquas meri imperij causas comprehendit. Civilis in Vogtheiam superiorem, aliàs die Obervogtheyliche Obrig- vnd Potmesigkeit/ quæ jure territorij universalis competit, & Dominus ejus dicitur, Obrister Vogtherr: & Inferiorem, quæ ex concessione speciali ad aliquem pertinet, die vnter Vogthey/Niedergerichtliche Obrigkeit &c.

L.

Ac licet præterea in quibusdam Germaniæ locis ad exemplum Regni Galliæ trimembris jurisdictionis distributio, in altam, sc. mediam, seu bassam & imam, die Ober: Mittel vnd Nieder Potmesigkeit audiat, quarum singularum casus, si unus separatim altam, alter mediam, tertius imam asserit, discernere non ita in proclivi est, nisi id consuetudo edoceat. Arramen hæc divisio non à forma potestatis, uti juris civilis distinctio, sed potius ab objectis desumpta est, ac ideo una alteri non consonat.

LI.

Forma tandem Jurisdictionis antiquæ & novæ diversissima. Quoad illam magistratibus ipsa sine ullo loci, in quo eam exercebant, dominio, ratione officii quod gerebant, competebar. Unde non suo nomine, sed alieno, haud ad utilitatem propriam, sed Imperatoris, tanquam administratores Reipublicæ & Imp. procuratores provincias seu ditiones commissas administrabant, atque sic ipsi jurisdictionis quam exercebant, Domini non erant, nec eam irrevocabiliter tenebant, sed Imperatores officium, quod eis concesserant pro libitu revocare poterant.

LII.

Horum consecutaria erant, in commercio tunc jurisdictionem positam non fuisse, ab ipsis ergo eam emi, vendi, donari, locari, præscribi &c. non potuisse. Fructus ejus ipsos suos non fecisse, sed rationibus reddendis obnoxios exitisse: nihil rectè in sua provincia ex patrimonio publico eos alienasse, sibi applicasse, detertius reddidisse. Nihil jure inconsulto Principe in statu publico mutasse, imò nec imperio proprio arbitrio se abdicare debuisse. Officium, quod gerebant ad heredes ipsorum non transisse.

LIII. Ve-

LIII.

Verum ab omnibus hisce nostri Imperij conditio longissime recessit. Statibus istius Electoribus nempe, Principibus Comitibus &c feudi lege utile quoque dominium provinciarum, in quibus ipsis jurisdictio competir, concessum est, atque hujus domini, non verò officij alicujus, ratione eam exercent, & quidem suo nomine, non alieno, ad proprium commodum & utilitatem, non tanquam nudi administratores seu procuratores rei alienæ, sed ut Domini & procuratores in rem suam, idq; irrevocabiliter. Nec enim potest, nisi ob feloniam forte ab ijs commissam Imperator ipsos dominio & jurisdictione destituere.

LIV.

Huic suæ universali & territoriali jurisdictioni subiecta, illi rursus, quod & supra monuimus, inferioribus subinfeudant, aut alio genere contractus concedunt. Qui postea non mandant, sed propriam ac ordinariam jurisdictionem obtinent. Qui iterum loci, cui jus dicunt, domini utiles sunt, qui jurisdictionem, quam exercent, in patrimonio suo habent, suoque eam nomine, non alieno, administrant, in rem suam, non alienam, procuratores sunt, ideoq; nisi ex causis constitutis feudo amisso, ipsis invitis irrevocabilem obtinent.

LV.

Ita igitur in patrimonium jurisdictio redacta, cœpit in commercio esse, emitur, venditur, locatur, conducitur, donatur, inq; feudum conceditur. Justo similiter tempore præscribitur, nullâ differentiâ, an merum sit imperium an mixtum, agnitâ. Ubi monemus inconsideratè eos agere, qui ex jure civili merum imperium præscribi ideo negant, quia specialiter tantum lege concessum fuerit. Quippe quod concessio hæc de exercitio tantum, non de dominio, quod nunquam quidem extra Imperatorem in quocumque jus vetus cogitavit, loquitur.

LVI.

Faciunt hæc, ut qui ita jure domini jurisdictionem possidet, omnes inde redundantes fructus, etiam pleno & proprietatis jure, suos efficiat, nec proinde ulli ad rationes de ijs reddendas obstrictus esse queat. Faciunt hæc, ut si quid publicæ rei alienaf-

se, si quid in statu territorij mutasse conducat, illud, cæteris tamē paribus etiam superiore non consulto ipsi jurisdictionis Domino facere liberum sit. Quamvis hac in re quid diversitatis inter jurisdictionem territorij universalem, & castri seu loci alicujus singularem lateat, non ignoremus, nec tamen utpote extra nostrum propositum hic attingimus.

LVII.

Indubitatam præterea est ita jure dominij competentem potestatem præsertim si feudi jure teneatur, à quolibet etiam illi à quo eam agnoscit invito, refutari posse. Licet sine consensu domini feudi hæc in alium rite non alienetur.

LIX.

Tandem & ad heredes hanc ipsam jurisdictionem transire satis notorium est, nec monitu fermè opus habet.

LIX.

Atq; hæcenus de ipsa detentione jurisdictionis. Observari autem licet diversam quoq; utriusq; in defendendi remedii rationem esse. Nulla olim ob jurisdictionem, utpote de re extra commercium posita, actio erat: Sed magistratus in edictis suæ jurisdictionis violatoribus pœnam constituiebant, quod leges suam jurisdictionem pœnali judicio defendere indigant. Si aliæ fortè controversiæ de jurisdictionibus, quid ad quemq; spectaret fortassis inter magistratus ipsos ortæ fuissent à solius Imperatoris nutu & placito decisionem dependisse censemus.

LX.

At hodiè quamvis quidem quilibet, non minus pœnis & mulctis contra delinquentes suam defensionem ire jurisdictionem queat, sin tamen alius animo minuendi vel auferendi potestatem ipsum in jurisdictione turbet, vel quis in controversiam eam vocet, legitimis certè actionibus experiendum est, nec ita solius Imperatoris arbitrio res permittitur. Actiones vulgò negatoriam & confessoriam dari ajunt. Imò fractæ pacis quoque hodiè, qui alienam jurisdictionem violat, teneri asserunt.

LXI.

Verùm de illis non immerito dubitatur. Non n. directa, quod constat, nec utilis, quia ne quidem mens legis, hæc actiones introducens, eas in jurisdictione locum etiam habituras, veluti

quæ

quæ attulimus liquido demonstrât, esse potuit. Et si de omnibus
juribus in re actiones istæ competunt, cur non etiam de Emphy-
teusi, de feudo, de superficie &c. iisdem agimus? Audebimus de-
fendere conditionem ex lege vel moribus hîc intentari. Ceter-
rùm quod de fracta pace dictum, cum grano salis & ita accipien-
dum est, si requisita illa, quæ à constitutione pacis publicæ exi-
guntur, Dolus nempe, Vis publica & Vis armata præsto adsunt.

LXII.

Ex deductis igitur apparet, quam malè vulgò nostri Electro-
res, Duces, Comites & Barones, Præfectis prætorio, Proconsuli-
bus, Præsidibus &c. antiquis æquiparentur, & indistincte ab his
ad illos argumenta ducantur. Inprimis autem collatio illa Ele-
ctorum cum Præfectis prætorio, in qua tamen sibi mirificè qui-
dam placent, præter paucissima, quæ tamen planè extra utrorum-
que officia sunt, frivola est. Illi propter electionem Imperatoris
constituti; hi non, sed ut solum adjumento ei in administranda
Republica essent. Illi à consuetudine cœperunt, ut supra posui-
mus; hi ab Imperatoribus introducti sunt. Illi in reliquos Prin-
cipes statusque Imperij nil quicquam jurisdictionis habent; hi in
alios magistratus habebant, ab illisq; provocabantur, quibus re-
liquæ de quibus jam diximus differentia generales accedunt.

LXIII.

Longè rectius ergo, si veterem statum nostro applicare pla-
cet, ita procedemus, ut quemlibet Principem, quoad jurisdic-
tionis exercitiùm, extra tamen appellationem, quæ ad Camera-
m de-
ferri, nisi in casibus exceptis, potest, ipsi Imperatori, illius, si quos
habet, vicarios generales, Præfectis Prætorio, alios Præfectos &
Quæstores, Præsidibus & Procuratoribus Cæsaris, Civitates pro-
vinciales, municipiis &c. assimilemus. Nam eò inter alia respice-
re vulgare & tralatitium illud, quemlibet Principem tantum,
posse in suo territorio quantum Imperator potest in toto impe-
rio, non dubitamus.

LXV.

Ipsos autem Imperij status ad Imperatorem collatos simi-
les dicamus iis Regibus & populis, qui salvis magistratibus, sal-
visq; legibus in potestatem Romanorum devenerunt, & ad quo-
rum etiam successores regna & ditiones devolutæ fuerunt, quo-
rum aliquot exempla historiae suppeditant.

LXV. Quæ

Quæ itaque hæcenus deduximus, eò cuncta redeunt, ut patefiat, summam & Imperatoriam jurisdictionem hodiernam præ veteri in quibusdam restrictam, inferiorem a. & statuum in non exiguis auctam. Quæ tamen res illi Andio sine Bono SS. nostræ Monarchiæ detrectandi ansam præbere non potuit, sed cogitare ipsum par erat istud Justiniani nostri, quanto quilibet præstantioribus præest, tanto major ipse & potentior est, & ex dignitate subditorum noscitur dignitatis præminencia. Res enim nobilior existimatur, quo nobilior subjectum habet. Et nostri igitur Sacratissimi Imperatoris honor & majestás dignitate subditorum non tantum augetur, verum etiam ejus status potentior, magis honorabilis, magisque timendus afficitur.

Agnovit hoc ipsum Carolus V. Imperator sapientissimus, dum dixisse fertur: In Germania se

Regibus alibi mancipiis imperare.

Quo nos finimus.



COROLLARIA.

1. Testamentum ob præteritionem filij etiam hodie quoad legata ipso jure nullum.
2. De Jure Civili mulierem expressam anteriorem hypothecam habentibus præferri verius.
3. Jus Civile nec Ordinarij judicis recusationem prohibere videtur.
4. Femina licet semel exclusa, non tamen semper exclusa censetur.

Soli Deo Gloria

Wittenberg. Diss., 1613/23

V. 17

ULB Halle

3

002 673 304







1616
21
70
81
18

DELINEATIO DIFFERENTIÆ
IURISDICTIONIS
MONARCHICÆ ROMANÆ

veteris & hodiernæ

Cujus themata

DIVINA GRATIA FAVENTE

In incluta Viteberga

SUB PRÆSIDIO


Clarissimi & Consultissimi Viri,

Dn. FRIDERICI LENTII I.U.D.

Publicè defendet

JOHANNES HEIGIUS WITEBERGENSIS.

Addiẽm 12. Aprilis, Anno 66 10 CXVI.
In Auditorio Jctorum.



WITEBERGÆ,
TYPIS GORMANNIANIS,

